



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Matthias Apost. 24. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

oculis omnem, quæ in ipsis amatur, spectandam elegantiam propinarunt. S. Dorothea etiam animo inter insultus dæmonis fluctuanti præsentem opem tulit. Sed ego modestiam miror animi in NICOLAÛ. Prior omnibus in monasterio cùm esset, ut postremus esset, frustra diu supplicarat; tandem orando undecies millies Dominicam, toties Angelicam precationem, cælum exoravit. Ergo tanti putavit honores vendere, quanti hodie emerent alii. *Ex ligno vitæ Arn. VVion.*

Per Christum sensibus innovatus, abjecta seculi hujus figurâ formam tuam in formam tui redit Salvatoris, ut novitus sensuâ tuorum in tuis actibus elucescat, & celestis homo celesti habitu jam gradiatur in terra. S. Pet. Chryf. hom. 120.

S. MATTHIAS APOST. 24. Februarij.

QVem locum scelere infando & morte infami vacuum Iudas fecit, eum hodie MATTHIAS virtus occupavit, numerumque numero suo carentem felicissimè instauravit, cùm nobilissimo Candidato cæli etiam vota suffragarentur. Ergo postquam orbi bellum movere placuit, MATTHIAS provincia decreta est Iudæa, ob infensissima populi in Christum odia, longè id temporis difficilima. Sed magnis animis hanc aggressus MATTHIAS facilè debellavit. In Æthiopiam quoque excurrit. Ibi pugnatum verbis ac prodigiis persæpe, & expugnati multorum animi Christo, & MATTHIÆ deditionem fecerunt. Interea successu rerum felicissimarum rumpebantur Pontifices, uti populi, ita odii in Christianos principes. Neque tamen aliud, quàm triumphum parabat invidia. Hunc concessit Pseudopont. cùm mortem indixit.

Magnus

Magnum deinde fecit populi concurrentis furor. Ornarunt præ reliquis testes duo mendaces iidemque carnifices, ut qui primi MATTHIAM lapidibus petierunt. Hos ille velut acclamantium symbola accepit, veluti que triumphi sui decora tumulo secum inferri præcepit. Denique ut integer suus pompæ honor constaret, secures, quæ præferri alias solebant, ipse triumphator tulit. *Ex Ioach. Perionio.*

Primum adeptus est gentium S. Matthias, quia prius sibi met didicit principari. Sic namque ad veri honoris conscenditur cathedram, ut ante quis sibi, deinde dominetur & ceteris. Nunquam aliis bene præerit, qui sibi extiterit nequam. B. Laur. Iust. serm. de S. Matth.

S. TARASIVS EP 25. Februarij.

PER gradus honorum, ex quibus alii præcipites ire solent, ad astra TARASIVS evasit. Consul primò, tum inter eos qui ab arcanis literis Imperatoribus erant, Princeps; demum Archiepiscopus Constantinopolitanus infulam, quam alii gemmis ornant, ipse virtutibus ornavit. Has inter easque multas & pulcherrimas potissimum emicabat animi demissio, quâ TARASIVS pauperibus, quos multos & alebat & vestiebat, quotidie cibos ex suâ mensâ submittebat, ipse carptor & persæpe (sub festa Paschalia præcipue) ipse dapifer. Atque hæc ille virtute tantum abest, ut auctoritatem suam, quâ erat, imminutum iret, ut talis etiam Imperatoribus fuerit formidandus. Supplicem certè ad Aram, quem regis cohortes per vim abstraxerant, reddi sibi suis ipse Fecialis fecit. Constantino Imperatori, auctore amore vago, repudium meditati facienti que unus ferè sese opposuit.